

que §. 4. Heldium proprio ausu Catechismum introduxisse, ut examina Catechetica, eademque publica, ad eius praescriptum instituerentur. Quae potestas soli competit Magistratui, cuius est de externis religionis disponere. Omittit porro iter Heldii Wittebergam, cuius Calovius meminit, ab ipso Arnoldo in hac historia excitati. Contra Theologos Vitebergenses in Heldium graviter invectos (*gewaltig auff ihn losz ziehen*) scribit, qui tamen grave ante in illum hanc dixerunt verbum, quam inteligerent, Heldium Reformatis pro concione patrocinatum esse, & subdole illorum dogmata in Catechismo incrustasse. His namque perspectis, indignum eundem habebant, qui inter Lutheranos numerarentur. Hoc autem reticet Arnoldus, in prima response Theologos Vitebergenses comiter habuisse Heldium, eiusque loquendi modos, pro charitate, in meliorem interpretatos esse partem. Reticet etiam, ob turbulentum, quo praeditus erat, ingenium officio Heldium exutum esse, dum, omni posthabita compositione, in collegas, pro concione, semper debacharetur. Haec omnia ex Consiliis Vitebergensibus haurire poterat Arnoldus, si modo partium permisisset studium.

§. XXIX. *LVDOVICVS HETZERVIS*, Bavarus, primus fuit, qui Sec. XVI. in Germania Divinitatem Liberatoris in dubium vocavit. Amavit & polygamiam, & duodecim uxores in matrimonio simul habuit. De quibus vide Anonymum, in libro, Gallice conscripto: *Dissertationes Historiques, sur divers sujets* Diss. I. Praeterea Anabaptistarum secutus est partes, & eosdem cum Denckio, cuius erat affecula, errores fovit, a Seb. Franckio enumeratos. Anno c. 1529 die XXIV. Februarii, Constantiae capitali supplicio subiectus est. Hornbeckius in S. C. p. 34<sup>o</sup>. narrat, illum non absque significata prioris vitae poenitentia obiisse. Idem confirmat Ottius, in Annalib. Anab. p. 50. Verum alto silentio premir Sandius, in Nucleo H. E. L III. p. 24. forsitan, ne Ariani tam insigni suae *αἰσθήσης* promacho priventur. Neque tamen est, quod fidem denegemus viris, antea nondum natis, siquidem Sebastianus Franckius diserte id confiteatur, in Chron. f. 416. Verba sunt: *Das er grosse Buß und Reu empfan, gen bat, und sich des Wegs unwürdig geacht, der ihn zu der Wabistadt binaus*